

**Qaestio [sic] medica de innocentia, sufficientia, utilitate, praestantia, hydrargyrosis ex compositis mercurialibus salinis, intus exhibitis, in curatione morborum venereorum ... / [Jacques François Drilhon].**

### **Contributors**

Drilhon, Jacques François.  
Venel, Gabriel-François, 1723-1775.  
Ecole de médecine de Montpellier.

### **Publication/Creation**

Piscenis : Ex typis Josephi Fuzier, 1764.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/d6fyw58m>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

U  
QÆSTIO MEDICA.

*De innocentia, sufficientia, utilitate, præstantia, Hydrargyrosis ex compositis Mercurialibus Salinis, intus exhibitis, in curatione Morborum Venereorum.*

QUAM DEO DUCE, ET AUSPICE DEI-PARA,  
IN AUGUSTISSIMO LUDOVICEO MEDICO,  
PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSENENDA,

*Tueri conabitur JACOBUS-FRANC. DRILHON,*  
*Barbesilleus apud Santones, Artium libera-*  
*lium Magister, & jamdudum Medicinæ*  
*Alumnus, die mensis Februarii 1764.*

P R Æ S I D E,

R. R. D. D. GABRIELE-FRANCISCO VENEL,  
Regis Confiliario, & Medico, nec-non in  
almâ Universitate Medicinæ Monspeliensi  
Professore Regio, è Regiâ Scientiarum So-  
cietate, &c.



PISCENIS, Ex Typis JOSEPHI FUZIER, Typographi  
& Bibliopolæ Regis, Urbis & Collegii Regii. 1764.





# ARGUMENTABUNTUR.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. R. D. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, Cancellarius & Judex.

R. R. D. D. HENRICUS HAGUENOT, Decanus.

R. R. D. D. ANTONIUS FIZES.

R. R. D. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. R. D. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. R. D. D. CAROLUS LE ROI.

R. R. D. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHÉS.





# QUÆTIO MEDICA.

*De innocentia , sufficientia , utilitate , præstantia , Hydrargyrosis ex compositis Mercurialibus Salinis , intus exhibitis , in curatione Morborum Venereorum.*

## POSTULATA.

### I.

**S**UPPONO notiones hucusque comparatas , saltem evulgatas circa diagnosim luis Venereæ , & circa legitimam administrandæ Hydrargyroseos indicationem. Abs illo termino principium huic nostræ disquisitioni extat , quo aliquis lue Venereæ tentatus sufficienter demonstratur , illique probatissima , ex Mercurialibus scilicet Therapeia exquiratur.

### II.

**S**UPPONO cognitionem accuratam , Chemicam , Magistralem , Medicam , Mercurii , ejusque multiplicium præpara-



torum, seu hæc purificatione, (a) seu copulâ chemicâ, seu simplici miscelâ pharmaceuticâ patrata sint; apprimè notas videlicet cujuscumque formam, naturam, vires medicas, non solum à priori, verum etiam ex fideli historiâ variorum, vario

(a) Circâ sollicitas, curiosas, arcanas hydrargyri purificationes seu veras seu mentitas, nuperque tanto hiatu non uno artifice decantatas, hæc, occasione datâ, modestè propono dubia.

1°. Impuritates Mercurio venali adscriptæ, & hucusque saltem indefinitæ nonne, sub hoc respectu, merito assimilandæ qualitati deleteriæ venenatæ quâ illum culpabant antiquiores Medici & Philosophi?

2°. Hæterogeneæ partes diversigenæ metallicæ aliquando sanè in mercurio currenti arte chemicâ detegendæ, an venalem turpant sæpius, an notabili quadam proportionem?

3°. Plumbeæ atque vismutheæ particulæ quibuscum tectissimam copulam init mercurius crudus illum ne virulentum efficiunt? Quo experimento demonstratur illud?

4°. Dum ad præparata usui interno dicata, salina scilicet, purificatione mercurium prædisponunt, nonne, etsi rem primâ fronte graviolem & utiliolem moliantur, reapse de inutiliori & absolutè frivola fatagunt: dum impuritates illæ, si quæ sint, subeundæ cum mercurio mixtioni salinæ impares demonstrantur; de calce arsenici volatili albâ, quæ cum mercurio sublimato corrosivo summam alit analogiam, notissimum sit V. G. quod mercurio sublimato corrosivo immiscibilis, imò inconfusibilis sit, sub formâ propriâ.

5°. Nonne proprietatis illius ex accuratissimâ mercurii purificationem emergentis elogium, videlicet ut illius immensa moles possit in sanguinis oceano simul perstare, hicque tectè, placidè, benignè, tutò præstantissimos edere effectus, quæ quidem, sub fide theoriarum Astruccianarum tantum D. Torres Medico Parisiensi aliquando peperit nomen; nonne inquam, meræ nugæ, theoreticæ næniæ, ubi ex aliquot præparati cujusdam mercurialis (sublimati corrosivi v. g.) granis, mitis, secunda, plena, efficacissima hydrargyrosis extat.

6°. Quid correctione dignius ipsomet mercurio sublimato corrosivo, mox laudato? Qui tamen sincerus, nudus, inviolatus, millenis, & recentioribus experimentis innoxius comprobatur.

An-ne igitur vulgatissima mercurii vivi purificatio ex alutâ, etsi plumbum & vismutum, si adsint, transmittente, & ad summum sic dicta ex cinnabari revivificatio ingenue prudentiæ, in hoc puncto, prorsus satisfacere valent? An-ne operosioris & intricatioris purificationis sectatio malas Pharmacopoliæ artes arguit sæpius?

tempore



tempore usurpati cujuslibet præparati Mercurialis succellum.

### III.

**I**N postulatum hinc præmittendorum ordinem vix accensere-  
mus mentionem qualemcumque theoriarum circa naturam &  
operationem virûs Venerei, atque Mercurii actionem in ipsius  
debellatione; si indecoræ tantum & minus philosophicæ celeberrimi  
ipsiusmet patris, principis aureum aliunde librum male de-  
turpantes, culpandæ venirent theoriunculæ; si in condecorandis,  
ut dicunt, scriptis dictisve hæssissent theorisantium ludibria (a)  
nec gratuitissimæ ineptissimæque solertissimos practicos, ipsum-  
met mox laudatum antistitem, de objectis therapeuticis, de  
hocce nostro, de vi scilicet Mercurialium ratiocinantes de-  
luffissent. Sed cum illud contigerit; (b) operæ pretium duxi-  
mus, hoc taliaque revelantes præjudicia, theorias & demonf-  
tratas ( *to dioti* demonstratum, si comparandum unquam) de  
factis agenti raro si unquam utiles, numquam necessarias sæpe  
deludentes, vanas, arbitrarias postulare; hincque perperam &  
in cassum, & quid taceremus, ridicule de medicamento quodam  
cujus virtus aut nullitas nudæ, sensuali observationi subji-

(a) Ut de non uno novi sedulo theoriunculaum sectatore candidè  
tamen profitente has plerasque ad praxim Medicam inutiles, imò non raro  
noxias extare; seque illas ad scholarum & consiliorum pompam delegare  
affiduo; has verò nunquam in eruendis indicationibus practicis, & viribus  
remediorum æstimandis revocare; ..... cui tamen sedulæ secretioni vix cre-  
diderim, ut pote rei admodum lubricæ & ancipiti, saltem adhucdum inobser-  
vatæ. Sed bono cum deo, de hocce similibusque propositis fusius & ex professo  
agemus alibi aliquando.

(b) Vide potissimum celeberrimi Doctissimique Astruccii de *morbis Ve-  
nereis* libri secundi caput decimum, integrum, edit. Guillelmi Cavelier anno  
1740 Parisiis vulgatæ, T. I. p. 208. seq. ejusdem libr. cap. VII. passim,  
ejusdem cap. XII. passim quorum modus absolutè theoreticus, rationalis,  
dogmaticus capitis X. exordio non malè exprimitur: *experientiâ comper-  
tum est ..... Mercurio ..... sanguinem siugulasque sanguinis partes atteri,  
comminui, liquari, &c.*



ciuntur, agitari à priori, utrum sperato effectui compar sit, nec-ne.

#### IV.

**P**OSTULANTI, ni fallor, condonabitur ultro, methodum hydrargyrosi ex inunctionibus, cæteris quibuscumque prævaluisse, cum nostris temporibus, Mercurialium salinorum intus adhibitorum usus, jam pridem obsoletus, reviguit. Unde quæstio practica iis nostris temporibus opportuna, & decenter circumscripta extabit, si, non cuicumque Mercurii applicationi externæ, sufficitbus v. g. &c. sed solis inunctionibus conferatur præparatorum Mercurialium salinorum usus internus.



### OPUSCULI DISTRIBUTIO.

**H**Is præmissis, sic absolvetur hæc nostrà dissertatio, ut, tripartito sermone:


1<sup>o</sup>. Stabiliamus recentioris methodi innocentiam, & sufficientiam, & consequenter utilitatem absolutam; tumque de optimo illius instrumento sententiam nostram declaremus.

2<sup>o</sup>. Recentioris methodi præstantiam supra methodum inunctionum defendamus; & consequenter posterioris vitia, seu propria & radicalia, seu ex adjunctis vulgò inseparabilibus manantia revelemus.

3<sup>o</sup>. Tandem peculiaria quædam observata, cautiones, processus circa recentiore nobisque prælatam methodum proponamus.







# IPSAMET DISSERTATIO.

## PARS PRIMA.

### *De utilitate absolutâ recentioris methodi, tum & de illius instrumenti delectu.*

**U**BI primum nova miracula audiivi antivenerei Switeniani, atque catapotiorum Keyferianorum, circa hocce objectum exoriens meditatio extemplo animum inclinavit ut præparata quæcumque Mercurialia salina intus adhibenda nullo discrimine, saltem absoluto, haberem. Namque de virtute propriâ, speciali hujus vel illius, quocumque modo sparsam, opinionem admittere vetabant variorum, omni ævo, decantatissimorum specificorum, quæ tamen virtute communi generalissimâ pollebant tantum, memoria & inconcussa cognitio; vetabant hoc nostro ævo excultæ naturales scientiæ, hincque melior emergens logica; vetabant academicum decus, & muneris publici dignatio qualiscumque. Etenim vel incautus & minus philosophicâ incogitantia reus; vel imperitus & male credulus; vel proprio commodo, non veritati providus habendus sane qui ad speciale quoddam, cujus cognita, cognoscibilis, imò suspicanda cum altero aut pluribus analogia venit, generi universo adscribendas proprietates detorquet.

Itemque non minus indecoram excussi novi remedii formidinem; aut potius novi & desiderati remedii spem hausit anima nullo vel præjudicio vel emolumento antiquæ methodo addicta: secumque reputavit illico quod de vano correctionum Mercurii tentamine jam notatum, scilicet vitia usui Mercurialium interno magistraliter, ceu in libris & scholis exprobrata, cum illis accensenda saltem, quæ antiqui Medici & Philosophi in Mercurio ipsomet reformidabant.

Igitur, sic bene præparato, ni fallor, pectore, occasione



data 1<sup>o</sup>. Keyserio ipsimet non uni ægroto medicamentum suum administranti, anno 1760 Parisiis adfui. 2<sup>o</sup>. Ab illo largam accepi pilularum copiam, quarum periculum feci, in nonnullis gravissimis casibus, huc redux, eodem anno. Moxque, experientiâ audax, salina Mercurialia quædam, nimirum sic dictam Panacæam Mercurialem, Sublimatum dulcem ceu Aquilam albam, Præcipitatum album, atque Præcipitatum luteum ceu Turpethum minerale quamplurimis ægrotantibus exhibui; iterumque, his novissimis temporibus non uni etiam catapotia Keyseriana administranda curavi.

Atqui sanctè affirmo. 1<sup>o</sup>. Quoad horumce omnium innocentiam, quod nullum, vel sub illorum usu, vel post absolutam per illa curationem, grave incomodum observare datum fuit, saltem Mercurialibus salinis & intus exhibitis proprium: sive à parte ventriculi, quem nec male lacefcunt (*a*) nec ad tempus labefaciunt; ne gravem illi & inemendabilem labem infligant; quin è contra famem acuunt vulgo; mihiq; ex hisce, inveteratam & contumacem colicam stomachalem aliquando notabiliter mitigare datum est.

Sive à parte pectoris: namque nec ardorem, nec tussim, nec hæmoptysim, nec alias delicatiorum organorum pectoralium passiones excitare contigit unquam, ex Mercurialibus supra memoratis quâ talibus; verum ex enormi & præpostero per illa excitato ptyalismo tantum; sed nec graviores, nec frequentiores quam dum Mercurii crudi, sub formâ unguenti extus adhibiti, ad eundem gradum evehitur efficacia.

De præsentis argumento gravissima est, & prorsus decretoria

(*a*) Minus accuratè de Præcipitato albo asserit Astrucius [Ed. suprâ indic. T. 1. p. 168.] quod intus assumptus plerumque vomitum blandè moveat. Perperam de catapotis Kyserianis idem asserentes audi. Nec hoc, nec illud stomachum vi propriâ movent. Imò nec Turpethum minerale his prorsus validius talem patravit effectum, ubi æger aliquis, protractam ex illo curationem pertæsus, me incio, duplam vorarit illius Dosis, ex quâ præceps & enormis contigit ptyalismus. Nec ipsemet Sublimatus corrosivus; ut perhibent fidelissimi testes, per se, id est decenter administratus vomitum ciet.

innumerarum



innumerarum fideliumque observationum summa, circa verè heroici & principis, inter mercurialia interna, sublimati corrosivi tutum & innocuum usum.

2°. Quoad efficaciam seu sufficientiam: me curantem, aut *Keyserio* adstantem plures vidiſſe graviffimis & contumaciſſimis ſymptomatis Venereis divexatos, nimirum gummatibus, teterrimis & multiplicibus cutis ulceribus, profundiffimis latiffimisque oris ulceribus, tumoribus & cariebus tum cartilagineſ tum oſſa occupantibus, immenſoque aliquando tumore criſtallino præputium occupante totâ interim balani ſuperficie ulceribus cancroſis obſitâ, perfectam & radicalem ſortitos ſanationem, ex Mercurialibus ſalinis intus adhibitis, pluriesque blandiſſimo excitato ptyaliſmo tantum. Tum & medentium ſupplicium, Gonorrhæas corporibus cavernoſis hærentes Boerrhavi dictas, illique Mercurio inſanabiles habitas, vulgò, Gonorrhæas ficcas, longâ, & pacatâ Mercurialium internorum operatione penitus debellatas vidi. Criſtas ſpontè deciduas, & altè eradicatas non ſemel etiam obſervare datum eſt, ſub uſu Mercurialium blandiorum interno, Panaceâ ſcilicet; & quidem jamdudum, & quo tempore talia tanquam luis Venereæ inſufficientem medecinam prædicabant vulgatiſſima præjudicia. Atqui tamen, dum hæc ſpontè, id eſt abſque applicationis exterioris cujuſcumque, vel cultri Chirurgici concurſu penitus evaneſcebant ſymptomata, etſi minus gravia, nonne, obviâ conſequentiâ, ex tali obſervatione, veriſimillima declaratur vis ſic efficaciſ medicamenti anti-venerea univerſalis, & abſoluta?

His adde fidelia graviffimorum Authorum teſtimonia, illuſtriſſimi potiſſimum *Swietenii* cæterorumque nobilium Medicorum ab eximio Pariſienſi Medico (a) nuper collecta & typis mandata.

His adde doctiſſimi, expertiſſimi, probiſſimique apud Ruſcinonenſes Protomedici *Cel. Carrere*, qui me nuper certum fecit catapotia *Keyſeriana*, ſe curante, in Noſocomio Regio, multiplices atque fauſtiſſimos habuiſſe ſucceſſus.

(a) V. Mémoire pour ſervir à l'hiſtoire de l'uſage interne du Mercure ſublimé corroſif &c. A Paris, chez Didot 1763.



His adde Cel. *Goulard* Nosocomii regii militaris *Monspeliensis* Chirurghi, &c. &c. &c. &c. &c. &c. &c. &c. &c. &c. *Keyseriana* methodi tolerantiam.

His adde, quoad validiora Mercurialia interna, veterem & confessam efficaciam imò nimiam famam; deinceps ex præjudicatâ periculosa ferocia opinione ad tempus obnubilatâ; tandemque nuperis & melioribus observationibus de illorum innocentia & securitate, sub tutissimis auspiciis, redintegratâ.

His adde quoad mitiora, hæc assidue, in debellandis morbis venereis sic dictis particularibus, adhibita fuisse; subque tali usu summam aliquando monstrasse efficaciam, ut jam notatum.

His tandem (etsi argumenta à priori, experimentorum oraculis intertexere jam pro piaculo habuerim) In lectorum illorum gratiam qui forsam prælatis observationibus fidem derogabunt, addere liceat, sibi, orbique notum esse Mercurialia salina quaecumque & benignissima, parcissima dosi adhibita, summum Mercurii opus, perficere valere, ptyalissimum scilicet & uberrimum provocare. (a) Quis etenim nescit aquilæ albæ grana aliquot contra vermes semel exhibita aliquando salivam movisse? Atqui verisimillimum est, Mercurialium quorumcumque, tum externorum tum internorum, efficaciam antivenereæ intensitatem benè æstimari per actionis illorum gradus, quorum extremus est ferocissimus ptyalissimus, medii verò & descendentes mitior ptyalissimus, levis sputio, sic dicta extinctio, seu illi contigant effectus post longam applicationum seriem, seu secus, post unam aut alteram exhibitam dosim. Quæ quidem postrema assertio (non enim diffitendum) acceptissimæ opinioni ex directo pugnat; verum opinioni rationali, theoreticæ, speculativæ, ex fabulâ suprâ notatâ de causis opera-

(a) Ubi notandus etiam venit Astrucius (T. 1. P. 211.) & dum de Mercurio sublimato dulci asserit, illum ut plurimum paucam salivationem ciere; & dum, talis virtutis Theoriam pro more condiens, illius causam allegat vim sublimati dulcis cathartica; nam & sublimatus dulcis communis salivationis potis est, & nullo modo, in Mercurialibus vis cathartica pugnat cum vi sialagogâ; ut è contrâ, quo magis energiam suam prodit Mercuriale quodcumque præparatum intus adhibitum, catharsim actu promovendo, eo magis futuræ salivationis præsagium denunciat.



tionis Mercurialium germinanti; potissimumq. ex speciali quodam dogmate de inefficiâ Mercurialium parcâ dosi in sanguinem intromissorum. Sed quid speculationes nudæ, quid gratuitæ assertiones, contra invictum observationis propugnaculum? Si ergo præparatum Mercuriale quodlibet salinum, decenter administratum ptyalissimum & intensissimum excitare valet; ergo verisimillimè, & de inexpertis sperare licet hæcce, lui vene-reæ radicitus persanandæ comparia fore.

Nunc, ut inter præparata Mercurialia interna suprâ memorata, (nimirum Panaceam Mercurialem, arcanum *Keyserianum*, Mercurium sublimatum dulcem. Mercurium præcipitatum album, Mercurium præcipitatum luteum, & Mercurium sublimatum corrosivum) quorum efficaciarum gradus diversissimi omnibus in confesso sunt, legitimus instituatur delectus; sequenti criterio perpendendæ nobis videntur illorum reciprocarum relationes.

Videlicet, vel sic inter se, ratione diversigradæ energiarum *realiter* ordinantur, ut unumquodque gradu quodam energiarum proprio, intrinseco polleat, independenter à dosi suâ specificâ; vel, quod perindè est, gradu quodam sub dosi propriâ, communi speciali, quem vix ac ne vix quidem attingere potest aliud qualecumque mitius ad extremam & insolitam dosim exhibitum: ita ut aliquis morbus, debiliori quocumque præparato Mercuriali insanabilis, efficacior ex validiori exposcat, assequaturque Medicinam; & reciprocè Morbus aliquis effero drasticoque exasperandus, efficacem ex benigniori Therapeiam indicet, habeatque, cæteris paribus; id est utroque Medicamenti genere, modum exhibendi sibi appropriatum, communem, usualemente; ita ut quæ, propriâ naturâ, fortiora fuerint, ut efficaciarum indubitabilis, heroicæ, universalis, sed periculosioris habenda sint; quæ verò remissiora, quasi usus tutioris, verum magis ancipitis, angustiusque circumscripti salutanda veniant.

Non autem vel segnitius enumerantes, vel objectionem declinantes, diffitemur, summum energiarum gradum tutissimumque operationis modum in eodem subiecto *combinari* posse; ut de Mercurio extus illito asseverant dogmatici *inunc-*



*tores*, potissimumque nostrates *extinctiores*. Verum rationale illud placitum jam oppugnabamus, dum superius proponebamus, extremum operationis gradum, drastici scilicet ptyalismi provocationem, summum virtutis antivenereæ exercitium simul deprehendi. Dum autem tale assertum observationi superstructum contendimus, illud observatione contrariâ fideliori, meliusque interpretatâ collidere tantum licet.

Vel omnia Mercurialia suprà memorata æquali vi pollent sub propriis & respectivis exhibendi modis; ita ut levissimum illud prorsus idem valeat, sub modo proprio extremo, quod validissimum sub modo proprio extremo; & reciprocè validissimum sub modo proprio infimo, quod levissimum sub modo proprio infimo; uno verbo, nullum ex hisce sit *realiter* intrinsecè, absolutè, debile vel validum; verum quodlibet, sub decenti administrationis modificatione, cuilibet subjecto, & in quolibet casu eâdem securitate, eâdem persanationis spe adhibendum veniat: sicque, energiæ gradum, differant tantum, prout aliud parcissimâ dosi, aliud verò largissimâ similes effectus præstat; Mercurio sublimato corrosivo primum efficaciam gradum, inter usualia quæcumque, tum intima, tum extima occupante; Mercurio crudo extus illito postremum; aducque inferorem & superfluum, Mercurio crudo arte *Torresianâ* mitificato, si reverâ talis datur.

Si autem priori diversitatis characterismo reapse differunt inter se prædicta Mercurialia; omnia præsto habere interest, quæ, pro variis casibus & subjectis, diverso, & admissim appropriato curationis instrumento medentium manus instruant.

Si verò, sub secundâ relatione differant tantum; & licet & juvat unum alterumve seligere, & sibi proprium, usitatissimum, observatissimum facere. Talis autem delectus argumentis moralibus tantum dirigitur, administrationis scilicet facilitate, simplicitate, benignitate, ingenuitate, honestate, &c.

Quod ad nos attinet, ultrò profiteamur, nos postremum differentię modum hucusque admittere solummodo; etsi rem absolutè demonstratam & inconcussam neutiquam habeamus; intereâ sententię basim & firmamentum nobis extat sequens animadversio:



animadversio : scilicet levissima quæque , nec excepto Mercurio currenti sub formâ inunctionum administrato , (a) gravissima sæpius eradicasse symptomata syphilitica ; drasticaque quælibet , nec excepto Mercurio sublimato corrosivo , adeo peritâ prudentique administratione , nullâque aliâ adhibitâ arte , cicurata fuisse , ut levidentibus quibuscumque Venereis valedudinibus accommodata fuerint , plenoque successu adhibita nos igitur , tali criterio , suprâ memoratum quodlibet præparatum Mercuriale dimensi.

1<sup>o</sup>. Inunctiones seponimus , his argumentis freti quæ in secundâ dissertationis parte proponuntur.

2<sup>o</sup>. Mercurium sublimatum corrosivum intentatum relinquimus , non quod nobis suspectum sit ; namque , ut jam superùs dictum est , cel. Swietenio & Swietenianæ methodi afseclis integram fidem concedimus : nec-etiam quia & fidentissimis illius administratoribus in confesso est , illum non omni periculo absolutè vacare , saltem subminùs prudenti administratione ; namquè & indefessam prudentiam , & consummatissimam peritiam quis in Medico non requirat ? Verùm quia ad infimum tantum remissimumque propriæ efficaciz gradum , *extinctionem* scilicet , in evulgatâ methodo evectus fuit , qui quidem efficaciz gradus nobis sæpe frustraneus & imbecillior habetur ; quin tamen illum tutò prætergredi forsan liceat , & sublimatum Corrosivum hac dosi propinare quæ efficaciz Mercurialis summum ponat , vim scilicet sialagogam exerat ; (b) nec similis auxilii inopiâ , vel melioris spe ad hocce dubium solvendum excitetur.

(a) Quam efficaciz laudem inunctionum in speciz neutiquam infirmabunt inunctores , recentis methodi insensissimi hostes ; ex quâ quidem confessione ~~nos administrationis Mercurii defensores~~ , in gratiam Mercurialium internorum concludemus à fortiori.

(b) Notatu , & sedulâ interpretatione dignissima nobis videtur illustris. Swietenii assertio de sublimato corrosivo Brumfsfeldio , aliisque admissâ , quod scilicet ille rarò admodum Ptyalismum cieat , &c. Sic inquam interpretanda quod fractissima illius , & qualis ab illis adhibetur dosis Ptya-



3°. In nullo ex prædictis Mercurialibus hoc utile energiae temperamentum invenimus ex quo unicum vel undique primum nobis haberetur. Sufficientes tutasque Medicinas ex quolibet obtinuimus; verum alias in nonnullis casibus & subjectis elanguidas, ceu lentas, nec requisitam operam nisi evertissimâ vel iteratissimâ dosi navantes, alias verò reciprocè nimis præcipitis energiae aliquando fontes.

Igitur panacæam Mercurialem & Mercurium Keyserianum potissimum in usu habuimus, quasi solitam & communem Medicinam (postremum etsi moderatissimum panacæâ (a) tamen fortius idest minori dosi similes effectus præstans) & Turpethum minerale, quasi adjuvans sive stimulum; ubi vel morbi contumacia, vel ægri impatientia promptius postulabant auxilium, quod interim subjecti conditio non renuebat. Et porro talem stimulum ex fortiori medicamento mutuari præstitit, quam levioris & assueti dosim in immensum augere; saltem ne ægro pilularum vorandus modiolus fastidium moveret; forsanique (quod tamen nulla mihi observatione compertum) ne aliquando extremi Mercurialis efficaciæ gradûs impotens, assuefactâ naturâ, deprehenderetur mite illud, & solitum.

Hæc autem medicamina vel seorsim, vel invicem combinata hac methodo administravimus quæ in tertiâ dissertationis parte exaratur.

lissimum rarò admodum moveat; non verò quod, ex propriâ naturâ, minori vi sialagogâ donetur, præ aliis præparatis Mercurialibus; qui tamen postremus propositionis sensus maxime obviis incautos & audentiores impellere posset ut, si contumacissima symptomata in validissimo subjecto, solito evectiorem dosim medicamenti indicarent, hanc præterhabito drastici ptyalismi periculo, tantâ autoritate innixi, incunctanter adhiberent.

(a) De quâ tamen perperam asserit Astrucius, hanc alvum non movere. Hæc enim alvum in quamplurimis subjectis movet, & non rarò submissâ etiam dosi adhibita.



## PARS SECUNDA.

*De Præcellentiâ Recentioris Methodi, supra inunctiones; & de harumce Vitiis tùm ingentis tùm indissolubili nexu vulgo adjunctis.*

**Q**UIBUS Rationum momentis mox infistebamus præstantissimum antivenereum Mercuriale investigantes, his prorsus iisdem innitemur usum Mercurialium internum inunctionibus præcellere contendentes; aut potius sententiâ nostrâ de hocce argumento speciali in præcedenti parte jam obiter declaratâ, nunc superest, ut particulari, & penitiori disquisitione, ex principiis jam præmissis demonstremus, inunctionum methodum, pluribus suprâ indigitatis vitiis, nulloque commodo redemptis laborare, quibus absolute expers est recentior methodus; nisi forsan ab illius dominio excipias imbecillima quædam subiecta, delicatula, videlicet hæmoptoica, juvenicularum pectora, queis pejorem labem intentare videntur Salina Mercurialia, etsi benigniora, quam nudus sincerus Mercurius; quod tamen apertâ & decretoriâ observatione nobis adhuc vix constat.

Extemplo igitur inunctionum methodum deprimit molestæ, malè morantîs, superfluæ præparationis assidua præmissio, præsertim per iteratissima balnea institutæ; seu hæc laxandæ cuti, hinc meliùs moleculas Mercuriales ebibituræ; seu relaxationi cuidam universali solidis inducendæ, quâ fiant Mercurio minus irritabilia, destinetur.

Atqui, si ad rem ipsamet spectes, scilicet ad præparationem quâ talem, ex integro consideratam, ex generalissimo illo



scopo scilicet quo varialarum infitioni operationibus Chirurgicis &c. Dum licet sic dictâ præparatione præluditur : gravius hocce, inter res medicas, negotium constituitur quod hic perfunctoriè & obiter pertractetur ; aliàs, bono cum Deo, forsan ex professo perpendendum.

Si ad præparationem Hydrargyrosi ex inunctionibus dicatam ; in specie : contra sanctissimum talis præparationis præludium, hæc directissima, & nostro judicio gravissima extat animadversio ; quod scilicet & præparatores religiosissimi, in casibus urgentioribus ( quæ simul gravissimi semper deprehenduntur ; hincque præparationem maximè sollicitam indicantes ex se ) quod in illis casibus inquam, & inunctores protractissimis præparationibus addicti, præparationem qualemcumque prætermittunt, nec ex indè vel levissimum infortunium sub curationis curriculo persentiunt. Sic perhibet quotidiana praxis. Sic de suâ perhibet Astruccius ( jam. laud. ed & tom. p. 224. seq. ) binas refferens observationes suas, circa morbos venereos gravissimos, quos ex abrupto, & nullâ præviâ præparatione aggressus est.

Huic nostræ sententiæ secundum firmamentum esto ex sequenti observatione : quod plures noverimus inunctores quinques sextiesve ad summum ægros suos ad balneas dimittentes ; pluresque balneorum prælusionem absolutè præterhabentes ; quin tamen in praxi infeliciores forent quam inunctores illi, qui, ut Monspeliî solemne est, vulgo ad quadraginta, & aliquoties ad sexaginta & ultra, balneorum inunctionibus Mercurialibus præmissorum, numerum evehunt.

Si ad causas talis therapeiæ attendas, prioris judicium ( putà emolliendæ cutis consilii ) nihil ad nos : dum per interiores vias medicinam nostram insinuandam curamus. Sique forsan, in inunctionum methodo *reale* foret sic relaxatæ cutis commodum ; quò magis utilis imò necessaria foret illud sectandi indicatio ; eò magis methodus nostra, methodo inunctionum præponenda veniret, ut pote à tali negotio libera.

Quo ad secundam præparationis causam, nimirum relaxationis universo solidorum systemati inducendæ intentionem ; hanc  
inviçto,



inviſto, jamque pluries allegato argumento diruimus, conſtan-  
tiſſimâ ſcilicet *impreparatorum* ſolidorum obſequentiâ, compoſi-  
tis Mercurialibus ſalinis à nobis adhibitis, imò ipſimet he-  
roico ſublimato corroſivo; quantò magis ſperandâ, ſi eadem  
benigniſſimo Mercurio crudo proritanda tantum committantur.

Inunctionum methodum diſſuadet vanæ & merè rationalis  
diætæ ſeveritas, adverſus quam, & in recentioris methodi  
gratiam, & iterum prorsus decretorium & inconcuſſum extat  
argumentum cornutum ſic expreſſum: vel ſub uſu inunctionum  
neceſſaria eſt, aut ſaltem utilis, vel non. Si primùm, ergo  
præſtantior ſanè ut potè longè jucundior, & ~~magis~~ opportunior  
recentior methodus, communem, vivendi normam ſubjectis  
ſuis innoxie concedens. Si ſecundum; ergò & adhuc præſtan-  
tior methodus quæ duris & male providis legibus patientes per-  
peram non opprimit; illâ quæ non ſolum ſuppliciiis methodo  
propriis verum & adſcitiis, inſolubiliſque nexu inſertis miſellos  
excruciat.

Attamen conſitemur ultrò, ab his talibuſque inunctionum  
adjunctis, etſi hucuſque inſeparabilibus, vulgatiſſimam hydrar-  
gyroſim repugnari poſſe. Verùm injudicatum relinquimus,  
utrum talis uſitatiſſimæ methodi emendatio, abſolutâ & inte-  
grâ illius deſertione poſſibilior eſſet? Sed ut ut hæc ſunt; nec  
deſunt propria & radicalia inunctionum methodi incommoda;  
hic obiter exponenda.

1°. Scilicet inunctionum ſpurcicies, hincque mota ægrotanti  
faſtidium, Angor, Tædium, imò adſtantibus non levis nec il-  
legitima averſatio: undè hominum congreſſus fugitandi neceſſi-  
tas, ſaltem decentia.

2°. Segregis vitæ, ſaltem per decorum publicum imperata  
neceſſitas, ob ſummam, ne dicam inſuperabilem difficultatem  
celandæ, in hominum cætu turpîs morbi curationis.

3°. Ipſamet ſegregatio ab hominum cætu qua talis, ſeu in  
ſe, id eſt quatenus inviſo ſemper homini imò univerſo anima-  
lium generi carcere, jam ex morbo ſat ſuperque miſerum pa-  
tientem premit.

4°. Hæc eadem dira vincula quatenus præmonſtrata, præ-



visa eminens deterrentia, aut quatenus nullatenus subeunda queis paterna vel herilis autoritas, conditionis publicæ decus, conjugii vel religionis reverentia, aliaque ejusmodi impedimenta civilia insuperandos obices ponunt. Unde curationum defectus, saltem procrastinatio, hincque mali in subiectis jam afflictis ingravescencia, contagiique amplificata propagatio; verisimiliterque moratus optabilis mitescentiæ progressus, si qua fides observationi gravissimorum artis Magistrorum, viris veneri malignitatem in dies decrevisse, continuoque decrescere, contententium potissimum per recentis morbi maturas curationes.

5°. Hæc eadem seclusionis necessitas quatenus diuturnioris impatientes ægri etsi candidè moniti non rarò invitum & scientem medicum inducunt ut imperfectam illorum medelam relinquant; quod & nobis non semel contigit: quodque, ni fallor, ab *extinctioribus* facilius impetratur, dum illi incerto tantum sanationis crîterio sæpissimè insistentes, (ut in seq. parte propugnabitur) nec ægrorum tædio præfixum terminum assignare valent; nec demonstrabili rei jam patratae insufficientiâ, & aliquando manifestandi complementi promisso beneficio, longiorem tolerantiam excitare.

6°. Hæc eadem latibuli sectatio, quatenus curationis pretium præconstituit; pactiuncule qualemcumque usum, aut potius eheu nimium lubricos, infandosque abusus insinuat; inter quos, ut abominanda taceam malefuadæ avaritiæ scelera, levissimum tantum notabo, scilicet præ solitâ curationum communium mercede, pretium ut cunque majus, quodque perpauco- rum fortuna virorum fert, undè & etiam milleni à salutarî piscinâ arcentur.

Ab his autem omnibus vitiis ceu incommodis planè immunis est Mercurialium intus exhibitorum usus: namque nec ille ægro- tantes sordibus obruit, & malè torquet; nec sævo sub custode, in horrendum conjicit carcerem; & per illum è contrâ vacat in hominum consortio, solito more degere, & communia vitæ munia adimplere; si paucos tantum excipias dies in sequenti parte notandos; & hominibus publicis licet, & pueris, & famulis,



&c. Sub clientum, patrum, herorum oculis palamque populo medelam experiri, & solito Medici Officio frui datur, imò & illum in viis & compitis de curationis serie consulere, & præ levidiusculâ quâcumque valetudine parcissimis impensis tutam, citam (a) jucundam obtinere sanationem.

Si tamen, quod non semel audire, & legere contigit, austerus aliquis objecerit adeò promptæ, obviæ, facilis curationis methodo, viam sterni audentiori nequitia; ubi è contrà adhuc amplificandæ, si liceret, communis methodi molestiæ furiosis obscenæ libidinis fluctibus salutarem aggerem opponunt: talis considerationis momento duræ calamitatis solamen ultrò repellenti, *Hypocrita tristi*, certam & indeclinabilem rationem excogitandam mandamus, quâ instructæ acies ineluctabili fato absolutissimæ cladi, ad unum usque militem devoverentur, quò melius à dirâ militiæ aleâ deterrerentur fera hominum pectora.



## PARS TERTIA.

*Peculiariora quædam observata, Processus, &c. Therapeutica, circa recentiorum, nobisque Prælatam Methodum.*

I. **C**URATIONEM morbi venerei ex Mercurialibus internis suprâ laudatis aggredientes, nec sanguinem mittendum, nec alvum expurgandam jubemus, ad hoc, scilicet in gratiam felicioris hydrargyrosee: verum tantum alterutrum tantum præscribimus, vel concedimus remedium, sub propriis & respectivis cujuslibet indicationibus. Nec etiam utrumque

(a) De curationis prope ratione Vide Diff. partem tertiam.



remedii genus, sub curationis curriculo sæpius in medium revocamus; juxta huncce methodi processum, a *Keyserio* aut saltem ab evulgatâ illius methodo diffidentes, nec tamem illum, aut illam vanarum cautelarum sectatione culpantes, ut infrâ declarabitur.

II. A benigniore Mercuriali Salino ordimur, panacæa scilicet, vel catapotiiis *Keyserianis*. Alterutriusque administratio- nem semper à fractissimâ dosi inchoamus; experientiâ & autopsiâ præmoniti ad hocce remedii genus in immensum variari variorum subjectorum obsequentiam: unde talium dosis præfixa generalis constitutio nobis piaculum habetur; stupemusque peritissimos *Swietenium Astruciumque* Mercurialum dosim absolute definiētes.

III. Unicâ vicè, & horâ somni quotidianam dosim exhibere opportunius, ut potè minùs molestum censemus, quam bis de die partitam proportionalemque tradere. Nec rationem suspi- camur quâ motus *Keyserius* hanc nostram exhibendi normam primò profecutus, in novissimâ methodi suæ editione ad postremam conversus est.

IV. Ultrò admittimus quotidianæ dosis definiendum termi- num per decentem alvi laxitatem, nimirum ut sufficiens ha- beatur illa, quâ per noctem nullo sensu percepta, mane proxi- mè subsequenti una aut altera liquidæ & subtorminosæ alvi mo- vetur dejectio.

V. Quoad dosim generalem terminandam, ipsammet scilicet sanationis metam attingendam: in communibus plurimisque ca- sibus levem saltem ptyalismum movendum curamus; conten- dimusque vix imò neutiquam aliâ viâ exhibiti medicamenti suf- ficientiam, plenumque successum commonstrari posse; vel ubi præsentia & sub hydrargyrosi evanescenda symptomata desunt, quod frequentissimum, ut evenit, v. g. ubi cum *veteribus pec- catis* agitur, arthritide vel rheumatismo venereis, condyloma- tibus aliisque genitalium morbis passim recurrentibus, nec cu- rationis tempore sævientibus, &c. &c. &c. Vel cum illis ægro- tantibus, in quibus sospes mutumque virus venereum *realem* & indubiam sui præsentiam prodidit, non ex medentum heu sæpius



sæpius, vel delusorum, vel deludentium interpretatione, verum ex summâ, nostroque iudicio firmissimâ probatione, virûs scilicet in subjectum sanum insitione; (a) vel cum gravissimum morbi curati symptoma quale virulentissima & inveterata gonorrhea, &c. &c. Ad illorum symptomatum Venereorum familiam pertinet, quæ absolutæ & radicali luis sanationi superfluit.

VI. Tali autem consilio duce, alacrius procedimus quam per libellum *Keyserianum* licet. Per illum enim, nostro saltem iudicio, potissimum suadetur cunctatio, quia inferiores tantum Mercurialis efficaciam gradus plerumque attingere animo intendit author, tum & etiam, quia inexperto cuilibet curatori, etsi contrarium jubeat, therapeiam suam sæpissimè committendam prævidet. Igitur ad blandum saltem ptyalismum *Keyferio* vegetius, lentè tamen properamus. Hic autem insultu verè febrili imminens denunciatur; huncque induciis & decente mediâ, non vero sanguinis missionibus, vel catharsi (b) intra debitos limites coercemus; qui quidem, si prudenter periteque moderata fuerit administratio, sæpissimè unum alterumve solidum diem adæquant tantum, aliquando tamen, confitemur ultro, octavum decimumve complent, imò ad vigesimum & ultra, effero impetu, dilatantur, cautissimi curæ ministri diligentiam fugientes; sed fato omnibus quibuscumque methodis *sanatoriis* communi, subque nostrâ raro admodum, & vix unâquæque centesimâ curatione sævienti.

(a) Unica, tutissima saltem sanationis demonstratio nobis extat in utrâque casuum memoratorum uberrimâ classe, constans contagii defectus. Quâ enim aliâ viâ æquè æstimanda veniret perfecta à viru venereo immunitas, non semel tali eventu declarata, præsertim in mulieribus, quæ manifesta amplaque in pudendis ulcera gerebant, ex quibus non parca gonorrhea exibat, cum dysuriâ, &c. Nec tamen concumbentem assiduum inquinabant.

(b) Penitus rationale & ex musæo sancitum reputamus dogma medicum, quo coercendus jubetur ptyalismus, ex propinatis catharticiis. Hunc raro admodum, tali diverticulo, vel minimùm refringere nobis contigit; sæpius, verò illum è contrâ adaugere.



VII. sub hoc curationis stadio, & sub illo tantum, conclavi, imò lectulo patientes affigimus.

VIII. Ex unico mitissimæ brevissimæque salivationis insultu, gravissima pluries vidimus penitus debellata symptomata (a) qui planus sane meritoque sperandus eventus, dum ille & à mera extinctione alienus non est. Unde, quoties evidentium, & abigendorum symptomatum cynosurâ regimur, post optimum talem successum, ab iteratâ ptyalismî molitione temperamus; huic è contrâ diutius insistentes, salivæque fluxum, sed ut decet, & exprofesso intercalatum, ulterius & variè pro casûs gravitate, subjectique viribus, animo, conditione civili, cientes, vel si contumacia hujusmodi symptomata deprehenduntur; vel si prædictâ face destituamur.

Si verò, qualiscumque fuerit rei status, ad decimum diem vel ultra sive ad medentis nutum, sive ob frustratam illius industriam, ptyalismus pervenerit; ipso facto, sufficientem prorsus, summamque adhibiti auxilii efficaciam obtinuisse confidimus; neque nos nisi raro admodum fefellit spes nostra. (b)

(a) Enormem huncce præputii tumorem cristallinum, subjectumque ulcusculorum stratum, de quibus in primâ dissertationis parte mentio injicitur, sub urgentissimis civilibus considerantiis, ex ptyalismo biduum tantummodo perstante, & per decem ad summum, Mercurialium quotidianas exhibitiones prolecto, nobis curantibus, perfectè sanatos observavimus.

(b) Si quis, de methodo sibi usitatissimâ pronunciaverit hanc nunquam sperato effectu destitutam fuisse; hunc ingenuorum medicorum chorus impudentissimum conclamat lucripetam.

Si quis sibi, propriæque methodo gloriæ verterit, quod alio, medente, & alienâ methodo quondam *insanati*, à se suâque methodo sanati sint, hic impudentiorem adhuc indecentiorem, nequiores mercaturam exercens, omnibus bonis habeatur.

Namque & methodus quælibet, adhuc usque diem usurpata, insufficiens aliquando deprehensa est; & à sexcentis aliis causis, præter methodi, in posterum adhibitæ præcellentiam, fieri potest, vulgoque fit reverâ, ut methodo quâcumque olim *insanatus* morbus, alterius cujuscumque methodi novo molimine persanetur.

FINIS.